



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Pio Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

PIO LECTORI.



PERE jam absoluto, subjiciuntur reliqui Indices tres initio promissi, quanquam Index rerum memorabilium, compendiosior fortasse, quam par erat; ne typi diutius detinerentur. Quo loco illud te moneo, voces quasdam præter artem majoribus inchoatas, vel expressas characteribus non errore, lapsaque aliquo excidisse; sed consulto sic impressas, ut argumenti, rationis, vel alicujus testimonii vim, denique ad dictionis illius pondus litteræ Granditas excitaret. In Capite vero vigesimo secundo num. 3. voculas, & litteras quasdam Hebraicas Latinis tantum characteribus expressimus, quod in promptu ejusmodi Hebraici typi non essent, & pauculas voces, iis præsertim, qui eam linguam callent, satis fuerit indicare. Consulto etiam in Exemplis, quæ ab Historiis petuntur, sive ex Græco in Latinum versis, formulas quasdam, vocesque obsoletas, vel minus Latinas retinui; non modo cum verba ipsa Auctoris transcribo; verum etiam cum interdum in pauca sententiam contraho, quo sincerius, liquitiusque Auctoris sensum in ipso fonte degustes.

Præter hæc autem, quæ ad Orthographiam, verbaque attinent: hoc etiam loco ratio mihi reddenda est, cur interdum in afferendis Auctorum testimonis, quamvis ex ipso fonte acceptis; Principes tamen Auctores interdum apud posteriores citamus: cur etiam in Historicis exemplis, præsertim, quæ ex vitis Sanctorum petuntur, Surius, & huiusmodi laudamus Auctores, priores præterimus. utriusque rei ratio eadem ut tuo, Lector, commodò prospiciam. Nam cum nonnulli ex Antesignanis Auctoribus, non ita passim reperiantur, satius visum est eosdem illos apud vulgatiore indicare, apud quos facilius, promptiusque obvii sunt. ut puta Mariale Alberi super Missus est apud Sanctum Antoninum, & alii apud Cardinalem Baronium, virum de Ecclesiastica Historiis optime meritum. Surius item, (quod omnes norunt) Authores, qui vitas Sanctorum descripserunt in singulos menses summa cum laude digestit, ut in promptu cuique sit, reperire quod cupit; quare cum citatur Surius, perinde est, ac si assertur Auctor ille, cuius nomen brevitate studio omittitur, quique apud Surium facile invenitur. Quod ideo monui, ut intelligas vim, ac pondus auctoritatis a prioribus illis, quibus posteriores innituntur, accersendum.